

TM 0973

R 607

7. vol 4 Bände, Th. II (2)

2 00 #.

7.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Inhaltsverzeichnis.


1. Hundeshagen, Jo. Chph. *Metaphysici commentarii.* Jenae 1667.
2. Hundeshagen, Jo. Chph. *decisiones metaphysicae.* Jenae 1668.
3. " " " " *Tractatus philo-theosophicus.* Jenae 1669.
4. " " " " *de causa finali.* invoeständig Jenae 1667.
5. Brendel, Joh. Bapt. *de praedeterminatione causarum secundarum.* Jenae 1676.
6. Kaderus, Jac. *Dissert. metaphysica de actu.* Jenae 1669.
7. Zellmann, Joh. — — — *de vita dei.* Jenae 1669.
8. Loeber, Chph. Heinr. *Decas quaestionum philos.* Altdamburg 1664.

Nr. 3 enthält: Disp.


- de Angelis
- " de Daemonum potestate
- " de Principio et principio
- " de Invisibilitate Dei
- " de Voluntate humana
- " de Veritate

3 a: eine Disp. de Principio o.o. [Wittenberg] o. d. von einem Martini, "optimi parentis [d. i. Jacobo Martini] filius" (dritte Seite)

Hundeshagen war Lehrer von Caspar Calvros:  
s. Katalog der Calvroschen Bibliothek S. n. sub 14







VIII

I. N. D.

DECAS  
QVÆSTIONUM  
PHILOSOPHICARUM

MISCELLA,

*Quam*

PRAESIDE

M. CHRISTOPH. HEINR.  
LOEBERO, D. A.

IN ILLUSTR. ALTENBURGENSI

Publicè

Examinandam exhibet

JOHANNES GEORGIUS *Kensler* /  
Altenburg.

*Ad d. April.*

H. L. Q. C.

---

ALTENBURGI,

Typis Joh. Bernh. Bauerfinccii,  
A. Æ. V. clb. lbc. LXIV.



VIRIS  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMIS, PRUDEN-  
TISSIMIS ATQUE PRÆCLARIS-  
SIMIS,

DN. JOHANNI REICHARDO, Hæreditario  
in Droschkau & Fluhstädt / Serenissimo Duci Saxo-  
Altenburgico à Consiliis & præfecturâ reddituum pro-  
vincialium, Eminentissimo;

DN. GEORGIO KEYSERO, ab ærario Ducali, Fi-  
delissimo,

DN. JOHANNI REUCKIO, à supremæ Camera  
Saxo-Altenburgensis Secretis, Gravisimo;

DN. VICTORINO GRUNERO, à Secretis tam  
sacris, quàm secularibus, Meritissimo;

DN. JOHANNI MAURITIO FRIDERICI,  
à Secretis aulicis, Spectatissimo;


*DNNNNN. Avo, Parenti, Susceptoribus, Affini-  
bus, Mæcenatibus ac Patronis meis filialiter æter-  
nùm devenerandis*

Has studiorum meorum  
primitias

*offero & consecro*

JOH. GEORG. Keyser.





IN NOMINE  
**SACROSANCTÆ**  
AC INDIVIDUÆ TRINITATIS, DEI  
PATRIS, DEI FILII ET DEI SPI-  
RITUS SANCTI,  
Amen.

**A**bsolutâ hætenus, bono cum DEO. in lectionibus publicis, parte Physica speciali, placet ex eâdem hæc vice Quæstiones nonnullas, soloci filo pertractatas, publicè ventilandas exhibere; & quoniam in eâdem Philosophus nonnunquam deserendus est, de ejus autoritate, philosophandiq. libertate quadam iis præmittere. Sit ergò

**QUÆSTIO prima:**

*An Christiano indignum sit, vocari Aristotelicum?*

§. I.



Uta sunt, quibus multi Aristotelem de ponte jacere allaborant. Inter quæ ei & hoc impingunt; apud eundem multa reperiri falsa, impia, veritati ac religioni injuria. Unde etiam Adrianus Heereboord Meletemat. Philosoph. volum. 2. Disp. 45. thes.

A 2

s. ad-

1. adducit & approbat verba, quæ Caramuel Lobcovvitz  
in præfat. ad Philosoph. real. & rat. Scholæ Peripateticæ  
occinit: Dare nomen Christo & Aristoteli sapissimè est im-  
possibile, aliquando difficile, perrarò necessarium. Quæ si  
vera sunt, abrogemus omninò Aristotelicorum nomen,  
nec Peripateticam, sed tantùm Christianam profitea-  
mur Acædemiam.

§. 2. Nos, ut negare non possimus, Aristotelem cū  
cæteris mortalibus omnibus suos habuisse nævos, ne-  
gamus tamen, tot falsa, tot impia, totq̃ve religioni  
injuriam in ejusdem reperiri scriptis, ob quæ indignus  
sit, à quo Philosophi Christiani denominari se patian-  
tur. Notabile est judicium, quod de ejus scriptis E-  
thicis fert liber Ecclesiarum nostrarum Symbolicus,  
Augustanæ nimirū Confessionis Apologia pag. 62. A-  
ristoteles de moribus civilibus adeò scripsit eruditè, ut nihil de  
his requirendum sit amplius. Conferatur inter alios præ-  
primis Dn. Joh. Zeisoldi Tractat. de D. & Conf. Aristot. &  
Script. & quid objectis insit veri, luce meridianâ erit  
clarius.

§. 3. Quid? quòd asserere non veremur, sum-  
mos plerosq̃ve Aristotelis hostes paucissima in eodem  
legisse vel saltem intelligere; adeoq̃; optimo jure in  
eosdem verba sua torquere posse Ernestum Sonerum, quæ  
habet in orat. de vitâ contemplat. Philos. Altdorff. p. 563.  
Hos ego semper judicavi similes illi vulpeculæ, quæ post-  
quam caudam amiserat, callidè omnibus sui generis persuade-  
re nitebatur, ut sibi quoq̃; caudas amputarent, quòd mul-  
titudine sociarum, turpitudinem suam vel elevaret, vel so-  
laretur.

QVÆ-

QVÆSTIO secunda:

*An homo aliquis norma veritatis constitui possit?*

§. 1. *Aristotelem vel alium aliquem hominem, hanc ipsam ob rationem, quia homines sunt, NORMAM VERITATIS in Philosophicis constitui, non patimur.*

§. 2. *Quare improbamus illud Averrois: Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus: quare bene dicitur, quod fuit creatus & datus nobis divinâ providentiâ, ut sciremus, quicquid sciri potest. Similiter Philosopho judicamus indignum, quod de se profitetur Philippus à Sanctissimâ Trinitate in præfat. ad Lectorem, summæ suæ Philosophicæ præfixâ: à Thomæ doctrinâ ne latum unguem advertens discedo: cum ipsi tum constitutionibus nostris, tunc speciali affectu adstringar.*

§. 3. *Auro verò & ostro contra cara non est sententia, quâ Aristotelis Philosophandi ratio declaratur, ex libro 1. ad Nicom. cap. 6. desumpta: Amicus Plato, amicus Socrates, amicior tamen Veritas. Similiter omnes Christiani Philosophi rectissimè dicunt cum Academiâ Ferrariensi in fine monit. ad Philos. Studios. Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica Fides & veritas. Et cum Clemente Alexandrin. l. 1. Stromat. Philosophia non dicenda Stoica, nec Platonica, aut Epicuræa, aut Aristotelica, sed quæcumq; ab his Sectis rectè dicta sunt, hoc totum selectum dicendum est Philosophia.*

QVÆSTIO tertia:

*An liberè liceat Philosophari?*

§. 1. *Libertas Philosophandi tollenda non est.*

A 3

Eam

Eam tamen non permittimus cuivis, nec quovis in casu.

§. 2. Non permittimus iis, qui Philosophiam primoribus, quod ajunt, labris attingere vix coeperunt. *Discentem enim oportet credere. Aristot. lib. de Elench. Soph. cap. 2. §. 2.*

§. 3. Deinde libertas non tam in verbis, quam in rebus est concedenda. Ad vitandam novarum phrasium in Theologia, studium gravissimè hortatur pios Theologiae Cultores B. Gerhard. in *Disp. Isag. X. c. III. th. IX. n. 6.* Est animi, inquit, moderati, non tantum pie cum Ecclesia credere, sed etiam reverenter cum eadem loqui. Idem quoque videtur inculcandum Philosophiae alitibus, utpote quorum cura Theologiam juvare, vel eidem saltem non obesse debet, & dicendum: *modestè Philosophi esse, à recepta sententiâ non temere recedere, multò minùs receptos loquendi modos facillè innovare.*

#### QVÆSTIO quarta:

*An cœlum ad nos usq̄ pertingat?*

Cœlum licet vastissimum sit, & ineffabilis quantitatis corpus, non tamen admittenda videtur tanta ejus extensio, quantam Heereboord. in *Append. Disput. Philosoph. Disp. contra Elem. num. part. 3.* propugnat; ubi cœlum ad nos pertingere, nos in cœlo vivere, imò aërem & cœlum reipsâ idem esse, statuit.

#### QVÆSTIO quinta:

*An media aëris regio sit frigidissima?*

§. I. Aeris tres esse regiones apud Philosophum  
qui-



quidem explicitè & expressè non docetur, à Zabarella tamen lib. de reg. aëris cap. 1. per bonam consequentiam ex l. 1. meteor. c. 4. (al. 3.) deducitur. Eadem sententia uti retinenda videtur: ita quæ de regionum illarum qualitatibus vulgò tradunt, multa in dubium vocari possent. Sufficiat unum hâc vice protulisse.

§. 2. Mediam regionem multi statuunt, esse valdè frigidam; & dicunt Conimbricens. lib. meteor. tract. 1. cap. 2. non est improbabile, quod quidam inquirunt, initio mundi injectum fuisse à Deo aëri in mediâ plagâ frigus, ad faciliorem gignendorum imbrium commoditatem.

§. 3. Verùm, quod regionis illius frigus non perpetuò sit nimis intensum, experientia certissima edocet magistra. Audiatur Zabarella, iter mediam in aëris regionem à se institutum c. l. cap. 8. his describens verbis: *Mihi contigit id, quod pluribus etiam aliis contigisse audiui, ut ascenderem ad summitatem usq; montis Veneris, qui omnium in Patavino agro est altissimus: ibi per totum diem habui aërem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me visione vallium prohibebant: vesperi autem, postquam de illo monte descendi, inveni factum eod die in inferâ parte magnam pluviam, quum in montis cacumine nihil pluisset: ex eo intellexi, me transisse per mediam aëris regionem, in quâ est facta pluvia, nec tamen eam sensi frigidissimam: imò vix aliquam animadverti differentiam frigidioris & calidioris aëris: nam æstivum tempus erat, & pro æstivo tempore eram vestitus, nec tamen tantum frigoris, quod me læderet, ex eo loco percepi. Simile iter, eundem per aëris tractum, multi tempore æstivo fecerunt alii, qui tamen ne verbo de frigoris isto in aëris tractu hærente magnitudine conquerruntur.*

§. 4.

§. 4. Piacet annectere verba *Gottifredi Vendelini*, memorabilem describentia historiam. Sic verò ille in tract. de pluviâ purpur. *Bruxell. p. m. 108.* Cum essemus in summo jugo, & descensus initio tota vallis unâ nube à monte hâc ad alterum esset obteâta: neq; aliud illic in edito vel conspiceretur vel audiretur, præter ipsum nubis æquor, claro suprâ sole, cum tamen infra nubem interim horrenda tonitrua & dira fulmina, cum grandine effusissimâ, necarent hominem unum atq; alterum, cum jumentis & pecoribus aliquot; everterent radicitus arbores; perumperent domos, & afflarent odore tetro sulphuris; omnia deniq; vel luctu vel consternatione implerent &c.

#### QVÆSTIO sexta:

*An cœlum in orbés realiter diversos, qvi ab Intelligentiis moveantur, distinctum sit?*

§. 1. Secundùm *Aristotelem*, communemq; veterum sententiam, cœlum stellatum in octo orbés realiter diversos distinctum est, quorum supremo stellæ fixæ; reliquis autem septem erraticæ insideant, cumq; iisdem à formis assistentibus, quas Intelligentias vocant, circumrotentur.

§. 2. *Petrus Hurtadus de Mendoza de cœlor. propriet. Disp. 2. sect. 1. §. 8. & seqq.* deserit illam opinionem, quâ cœlum in tot disseccatur orbés, id tamen durissimæ substantiæ esse, arbitratur. Cum verò Planetæ ita moveantur, ut non semper eandem, tum à nobis, tum à se invicem, distantiam servant, adeoque cum solido cœli corpore unâ & æqualiter circumvolvi nequeant, constituit iste cavitates & canales in cœlo, quos planetæ liberè trajicere valeant. *Isti canales sunt quidam*

dam quasi fornices, arcusq; triumphales, per quos Planetae triumphant, & suam pulchritudinem ostentant, ait §. 9.

§. 3. Verosimilius tamen videtur 1. cœlum non esse durum & impervium, sed tenuissimum corpus. 2. non dari Intelligentias stellarum motrices: sed earundem motum esse naturalem & à virtute naturaliter insitâ provenire. 3. adeoque moveri stellas in cœlo seu aurâ æthereâ, velut aves in aëre. Neq;ve tamen hæc talia adstruentes, ab ullâ stellarum ruinâ nobis metuimus.

### QVAESTIO septima:

#### Quot sint Planetae?

§. 1. Septenarius eorum numerus ita receptus est, ut à multis etiam probari ex sacris posse credatur; scribit Casp. Barthol. in exerc. de stell. n. 39. & 40.

§. 2. Isto in numero multa per secula propter instrumentorum defectum fuit acquiescendum; quamquam non defuerint, qui eum vocaverint in dubium. A. Gellius lib. 14. Noct. attic. cap. 1. habitam à Favorino Philosopho dissertationem exponens, scribit inter cœtera: Præterea mirabatur, id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas, quas à Chaldaeis & Babylonis sive Aegyptiis observatas ferunt (quas multi erraticas, Nigidius erroneas vocat) non esse plures, quam vulgò dicerentur. Possesse enim fieri existimabat, ut & alii quidam planetes pari potestate essent, neq; eos tamen cernere homines possint, propter exsuperantiam vel splendoris, vel altitudinis.

§. 3. Quod Favorino isti, aliisque probabile fuit visum, de eo hodiè inter diligentes corporum cœlestium scrutatores, elegantibus instrumentis adjutos constat certissimè. plures nimirum, quam septem, ex-

B

tare

tare Planetas. *Circumjoviales* quatuor deprehendit  
*Galilæus de Galilæis*, à quæ *Cosmo Medices*, *Hebrurix Duce*,  
cui suos dicavit labores, *Sidera Medicea* denominavit.  
Quot interim dentur prætereà dubium manet; imò  
ob nimiam astrorum distantiam accuratè definire, nul-  
lius est hominis.

§. 4. Pro decisione tenendum: 1. Planetæ visu na-  
turali perceptibiles septem tantum sunt. 2. Numerus  
Planetarum determinari potest, non positivè, sed tan-  
tum negativè, id est, quantum sit ad minimum.

### QVÆSTIO octava:

#### *De loco Elementorum naturali?*

§. 1. Locum Terræ naturalem constituimus in-  
fimum; Aquæ tribuimus alterum; Aeri tertium, igni  
denique supremum.

§. 2. Est tamen inter hæc duo distingvendum. A-  
liud est, locum esse elemento naturalem; & aliud, lo-  
cum naturalem ab eo actu occupari.

§. 3. Si elementa, ut peculiare ipsorum naturæ  
deposcunt, collocata in mundo essent, debuisset terra  
aquis, aquæ aëre, aër igne undique circumfundi &  
contegi. Nunc verò aliter res habet, sic divinâ pro-  
videntiâ disponente, propter hominum imprimis, de-  
inde brutorum animantium & stirpium, quæ in terrâ  
gignuntur, vitam & propagationem, aliasque com-  
moditates. Nec indecens aut indecorum fuit, ob hunc  
finem, naturæ ordinem immutari &c. quæ ferè sunt  
verba *Conimbricensis*. l. 4. *Phys. cap. 5. quæst. 3. art. 3. ad 3.*

QVÆ.



QVÆSTIO nona:

*An corruptio unius sit alterius generatio,  
& contra?*

§. 1. *Corruptio unius est alterius generatio; & generatio unius alterius corruptio, ait Aristot. 1. de gen. & corr. c. 3. t. 17.* An autem effata ista sint universaliter vera, non immeritò dubitamus.

§. 2. *Primò enim ex embryone fit animal per formæ substantialis accessum, ita ut nulla alia amittatur. Deinde quando viventia moriuntur, recedit anima, ita, ut non necessum sit, aliam ejusdem in locum succedere.* Quod enim *Conimbric. l. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. qvæst. 17. art. 2. conclus. 1.* scribunt: *in morte hominis, introducitur forma cadaveris, si propriè intelligatur, svave est figmentum.* Conferatur *Zabarella lib. de gen. & corr. cap. 3. col. 405. lit. D. & seq.*

§. 3. *Dicimus itaqve, generationem unius non semper esse alterius corruptionem, nec unius corruptionem semper alterius generationem; sed valere id tantùm in generatione & corruptione rerum unicâ formâ substantiali præditarum.*

QVÆSTIO decima:

*An elementorum diversitas, in quibus animalia degunt, specificam eorum differentiam faciat?*

§. 1. *Qvæstio hæc neganda est. Et negationis ratio est in promptu. Dantur enim animalia ἀμφίβια, seu ancipites bestię, quas Cicero vocat, quæ diversis in elementis vitam valent conservare;*

B 2


spe-


speciem mutare, quoties in aliud elementum transferuntur, nemo dixerit. Sunt verò talia cancer, rana, &c. Inter quæ numeranda, vel saltem admodum vicina iis essent *Pyralis* & *Salamandra*, si experientia certâ confirmari possent, quæ de illis tradunt nonnulli; illam nimirum in igne nasci, cumq; hâc in eodem elemento vivere posse: quod tamen à veritate alienum esse censemus. Conf. inter alios *Sennert. lib. 7. Epit. Scient. nat. c. 10.* & *Georg. Stengel. in lib. de monstr. cap. 2. §. 1.*

§. 2. Sed obstare inter alia videtur id animalium genus, de quo *Conimbric. ad l. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. quæst. 17. art. 1.* scribunt: *Certum est apud Iapones in insulâ, quam Gotum vocant, animal quoddam esse corporis magnitudine, & figura simile cani, vel ut alii narrant, lupi. Quod primò quidem in terrâ vivit, deinde certo tempore mare incipit frequentare, in eoq; se natatu assiduo exercens, paulatim efformatur in piscem; ac tandem membris jam in piscis figuram compositis pelago se dat, fitq; marina bellua; una de squamigero grege.*

§. 3. Respondemus cum iisdem *artic. 2.* talia animalia, uno elemento relicto, aliud inhabitantia, formam ad natatum accommodant: speciem autem non mutant. Quòd enim externa immutatio speciei diversitatem non inducat, multorum animalium, v. g. *bombicum* & alium *insectorum*, exempla satis luculenter ostendunt.

F I N I S.







B.I.G.

Farbkarte #13

I. N. D. VIII  
DECAS  
QVÆSTIONUM  
PHILOSOPHICARUM  
MISCELLA,

*Quam*  
PRAESIDE  
M. CHRISTOPH. HEINR.  
LOEBERO, D. A.

IN ILLUSTRIS ALTENBURGENSI  
Publicè  
Examinandam exhibet  
JOHANNES GEORGIUS *Kensler*  
Altenburg.

*Ad d. April.*  
H. L. Q. C.

---

ALTENBURGI,  
Typis Joh. Bernh. Bauerfinccii,  
A. Æ. V. cl. lcc. LXIV.

